miam suam iustitiam restituens. & pariter bonus. iustusque
subsistens; Frustra igitur iniquam dogma simulantes. bo
num de euangelio. & ueteri testamento iustum et defendunt. quia
& in pluribus locis aliis. & nunc in prophetae sermone iudex bo
nus scribitur deus. & e contrario quod nolunt in pauli epistola qui
certe noui instrumenti praedicator est deus iustus refertur; reposita inquit
est mihi corona iustitiae; quam restituet mihi iustus iudex;
Idem est ergo licet nolint. noui & ueteris testamenti deus. uisibilium
& inuisibilium conditor; Saluator etiam in euangelio iustum
& bonum patrem liquido contestatur; Pater iuste. mundus te
non cognouit; & alio loco; Nemo bonus. nisi unus deus; Sed & in ue
teri lege alibi iustus. alibi bonus dicitur deus; & in psalmis. iustus
inquit dominus. & iustitias dilexit; Et in hieremia; bonus est deus his
qui sustinent eum; Et in psalmis; Quam bonus deus israhel; & haec
quidem clatere contra hereticos strictim dicta sint; tempus est
autem ut propositum prophetae ordinem prosequamur. qui ita contexitur;
& dixit. Haud dubium quin dominus; nonne populus meus filii. nec
praeuaricabuntur. Non erant inquit similes his qui generati sunt
& exaltati. & eum qui illos genuit despexere. & factus est eis in
salutem. i. illis de quibus dominus ait. Nonne populus meus filii et non
praeuaricabuntur; hoc enim ipsi quod non praeuaricati sunt. nec
spreuerunt patrem eis factus est in salutem. uel ob id ipsum quod
appellati sunt filii. causa eis salutis effectus est. quae salus in
Christo domino contributa. angeli quoque ad pastores uoce firmatur

Vat. Reg. lat. 497, fol. 56r

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
Archivio Fotografico
REG. LAT. 497
56R
RIPRODUZIONE VIETATA
SENZA AUTORIZZAZIONE
Città del Vaticano

spiritus in scripturis est respersa diuinis, non labamur in nomine, sed unumquodque
secundum locorum uarietates et intellegentias accipiamus. Omni itaque
studio ac diligentia uocabulum spiritus ubi et quomodo appellatur
sit contemplantes, eorum sophismata et fraudulentas decipulas cetera
mus, qui spiritum sanctum asserunt creaturam legentes in propheta: ego sum
formans tonitruum et creans spiritum. Ignorantia multiplicis in hac
parte sermonis putauerunt spiritum sanctum ex hoc uocabulo demon
strari, cum in praesentiarum spiritus nomen uentum sonet. Nec non in Zacharia
audientes locutum dominum quod ipse sit qui creat spiritum hominis
in eo, aestimauerunt spiritum sanctum in hoc capitulo significari, non animaduertentes quod animam hominis aut spiritum, quae tertium in
homine esse iam diuini spiritus appellatio significet. Ergo ut supra
locuti sumus quomodo unumquodque dictum sit consideremus, ne forte
per ignorantiam in baratrum incidamus erroris. Siquidem in aliis
rebus ex consortio uocabulorum error et ueniens confusionem
et pudorem ei qui errauit inportat. De supernis uero et diuinis lap
sus ad poenam aeternam ducit et baratrum, maxime cum semel
deceptus noluerit resipiscere, sed unum inpudenter defensa
re errorem. Decebat etiam quidem et magnitudo uoluminis ex
igebat ut finem acciperet oratio. Uerum quia infert se questio
aduersus ea quae superius disputauimus, quam idcirco tunc prae
misimus, ne textum sermonis irrumperet et inter piam praedicationem
impia poneret contentio. Necessarium puto ad propositum re
spondere, et lectoris arbitrio quod superius sentiat derelinquere.

Vat. Reg. lat. 497, fol. 62r

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
Archivio Fotografico
REG. LAT. 497
62r
RIPRODUZIONE VIETATA
SENZA AUTORIZZAZIONE
Città del Vaticano